

2603

C O D I C E S

2604

Ecclesiae Colon. ac officialis Praepositi et Archidiaconi. *Jobannes de Cosfeldia* Secretarius Civitatis Colon. *Wilhelmus de Wege* S. *Mariae* ad Gradus Canonicus. *Jacobus Clant* S. *Severini* Colon. Canonicus. *Fastrardus Bareit* de *Buscho*. *Jobannes de Alcmaria*. *Engelbertus de Dunen* S. *Andrae* Canonicus. *Dominicus* Abbas quondam *Claricampensis* Ord. Cist. *Ludolphus de Hoyrn*.

VI. fol. 121. Quaestiones VIII. de variis Contractibus, licitine sint, germanice propositae cum Responsis latinis. Ita I. *Ich gel-den eynich goit, off komenschaff, it sy korn off wyn &c. na dem besten kouff, dat zo balden ind zo verkouffen durer dan it gegolden is. Queritur an et quomodo sit licitum.*

VII. fol. 131. *Deuotissimis in christo sororibus venerabilis Conuentus sancti egidij monasterii ordinis sancti benedicti humilis earundem adoptione frater theodericus de*

monasterio sacre theologie professorum minimus Sancte religionis saluberrimum incrementum. Dilectissimae in christo virgines, dum alias eram in conuentu vestro propter scrupulum conscientiarum vestrarum quem habuistis in usu rerum temporalium apud vos consueto rogastis me instanter, quatenus vos informare vellem de hoc, an modus vester quem tenetis circa usum rerum temporalium sit licitus et a nequissimo vicio proprietatis excusatus &c. Itaque Capitibus XIII. earum desiderio satisfacit Vir etiam e Concilio Constant. notus et a me Codd. variis, ut in Indice, memoratus, qui Opusculo subiecit: Completum anno Domini Mille.º CCCC.º 12º. ipso die beati iberonimi doctoris sanctissimi &c. Cui addidit Librarius: Completus est liber iste in vigilia margarete seu henrici imperatoris per manus boldewini hollandrini de scaghem Anno domini M.º CCCC.º XVII.º.

Qui scripsit scripta sua dextra sit benedicta.

VIII. fol. 141. in membrana manu Sec. XIV. *In nomine domini ihesu christi incipiunt interrogationes que de scripturis sanctis et canonibus sacris in foro penitentiae Ad utilitatem confitentium fieri possunt et debent. Referendae etiam Cod. DCLXXXIII.*

IX. fol. 155. pariter in membr. Sec. XIV. Opusculum ejusdem Argumenti, quod inscriptum est: *De confessione nota bene sequentia. forte inuenies teipsum notabiliter.*

Et incipit: Quoniam omne peccatum perpetratur corde uel ore opere uel omissione. ideo primo de peccatis cordis dicamus &c.

DCLXXXII.

Codex chartaceus lat. Sec. 223 XV. Folior. 246. f. maximam partem per duas columnas nitide descriptus, olimque *monasterij sancte marie virginis alias scotorum Wyenne* sequentia continet: I. Tho-

Thomae de Haselbach Tractatum de Contractibus occasione Quaestionis eidem a D. Jacobi Sanctimonialibus Viennae propositae: An contractus per eas cum magistro ciuium et consulibus ciuitatis Wienn. generaliter factus et consumatus sit licitus, in quo centum et decem florenos ungaricales annue ipsi ab eisdem presentandos pro tribus milibus et trecentis florenis ungaricalibus comparauerunt siue emerunt, sub titulo tamen reemptionis, quando placuerit vendentibus et eorum successoribus pro summa prenominata. Ingressus est: Religiosae sorores in christo filiahus. Petronelle Magistre ac Conuentui sororum ad sanctum Jacobum Wienne, sancti Augustini ordinis Canoniorum regularium Thomas de baselbach arcium et sacre pagine professor inmeritus, sponso Ecclesie et vestro obuiam procedere venienti accensis lampadibus cum gaudio et salute &c. In Puneta XVII. tota Tractatio dividitur, Punetaque VIII. Contractus ejusmodi licitus et legitimus pronuntiatur. Clausula est: Hec salus meliori iudicio quorum cunque, in christo sorores amabiles, vobis ad vestram instanciam volui conscribere — prestolans orationes pro mercede. Anno domini 1454. Conuersionis sanctissimi pauli die. Tractatus similes Henrici de Hassia &c. habentur Codd. variis, ut Index docet.

II. fol. 37. absque titulo et Autoris nomine Tractatus ejusdem Thomae Ebendorfer de Haselbach de sex Operibus Miseri-

cordiae, qui constat Sermonibus sacris per Quadragesimam habitis in C. 25. Matthaei: Esurivi et dedistis mihi manducare &c. Initium est: Dominus noster Ihesus christus cupiens nos invitare ad agenda bona opera pietatis et misericordie &c. Sermo ultimus imperfectus videtur desinens in haec verba: Vnde iam non reuertetur.

III. fol. 76. Eiusdem Tractatus: *An liceat viris ecclesiasticis, curatis et prelatis tabernas tenere et vinum ad ducillum (duciculum, conum epistomii, germ. vom Zapfen) vendere et quomodo sine rationabili obtretatione. Ansam scribendi exponit Prooemium: Venerabili patri domino. M. preposito monasterij Sancte Dorothee ordinis sancti Augustini Canoniorum regularium wyenne Thomas Ebendorfer de baselpach sacre pagine professor indignus salutem &c. Attonitus plurimum vestre paternitatis suscepi querelas, quomodo quidam laycus, qui sibi sciolus videtur et sapiens — impropria congerere uti stomachatus non dubitauit, Precipue tamen quia in vestris monasterijs et locis vinum proprijs stipendijs excultum venditur ad ducillum, asserens hoc illicitum et tamquam prophanum a lege dampnatum. Supplicauit quoque mee paruitati quatenus super hoc moto dubio meam ipse dignarer aperire sententiam. Deuictus igitur eo caritatis glutino, quo olim in iuuentute multa familiaritate studendo pariter conuersati fuimus, libenter aggredior &c. Materiam ergo in X. Puneta partitus, ultimo decernit: quod*

2607

C O D I C E S

2608

quod clerici suos fructus super extantes per suos ministros simul uel ad mensuram possunt vendere, et quod ex hoc neque puniendi neque mercatores sunt appellandi. Multa opportuna circa rerum in uniuersum emtionem et venditionem maxime sub finem Tractatus promuntur.

IV. fol. 91. Ejusdem Tractatus de IX. Peccatis alienis. Constat Sermonibus XI. quorum Primus incipit: *Ad philippen. primo capitulo hortatur apostolus fideles. Tantum ewangelio christi conuersamini digne &c.* Ad calcem legitur: *Et sic est finis tractatus de nouem alienis peccatis viri eximij Thome de baselpach sacre theologie professoris. Anno &c. 1458.* Tractatum Haselbachii haecenus recensitorum ex aliis Codd. Mss. mentio fit in *Scriptt. Univ. Vienn. P. I. Sec. I. a pag. 157.* Quisquis eos non obiter inspexerit, facile statuere, multis Monachorum, Fratrumque *Postillis, Sermonibus &c.* qui sub exortum Typographiae lucem videre, prelo digniores fuisse. Sed enim Ars illa tardiora et tenuia habuit *Viennae* initia.

V. fol. 161. Incipit tractatus Johannis Gerson de meditatione cordis. Ad calcem: *Explicit — Anno domini M^o. CCCC^o. XL^o.* Mox: *Incipit tractatus eiusdem de simplificatione cordis.* Ad calcem: *Explicit tractatus de Simplificatione uel eciam stabilicione ac mundificatione.* Demum: *Incipit tractatus eiusdem de directione seu reclusionem cordis.* Ad calcem:

Explicit — Anno domini M^o. CCCC^o. LVIII^o. Piae hae Commentationes, quarum primam in antiquioribus Librorum de *Imitatione Christi* editionibus non raro additam deprehendimus, extant nunc in edit. *Opp. omn. Gersonis. T. III. a col. 449. Antwerp. 1706. f.*

VI. fol. 173. In die Cene denuntiatio Edita per egregium doctorem sacre theologie Magistrum Thomam de baselpach pro tunc plebanum in perichtolczdorff. Initium Sermonis est: *Saluator noster Mathei. 18. cum dixisset collegio sanctorum apostolorum &c. ut Cod. CCCXLII.* Sed hic adhaerent: *Casus Excommunicationis, Casus Papales et Episcopales, Item eorum, qui non debent ad sacramentum accedere, nisi habita supra infra scriptis expressa voluntate confessoris.* Item *Collecta per M. Georgium dictum Sora, quomodo sit agendum tempore interdicti.*

VII. fol. 182. Sermones III. de SS. Barbara, Nicolao et Leonardo. Cum secundo et tertio superscriptum fit a secunda manu: *Haselpach, vix dubitem, primum quoque eidem tribui posse.* Hujus initium est: *Sapientia vincit maliciam. Ratio huius. quia luci succedit nox &c.* Secundi: *Statuit illi testamentum sempiternum &c.* Tertii, qui in fine deficit: *Dilectus deo et hominibus &c.*

VIII. fol. 194. Determinatio questionis de sanctificatione sabbati Magistri Johannis Hymel in uesperis suis, i. e. in Actu suo Academico ultimo ad gradum Doctoratus

ratus consequendum. Eadem in fine Subscriptio. Quaestio porro determinanda est: *Utrum sanctificare sabbatum paciatur aeternale peccatum, conuiuia et opera negotiorum.* De *Johanne Himmel* s. *Coeli* ad *D. Stephani Canonico* adi *Scriptt. Univ. Vien. P. I. Sec. I.* p. 126. Doctoratu insignitum fuisse ante an. 1437. inde conficitur, quod h. a. Rectoris Academiae munere secundum fungens in *Locheri Spec. Acad.* dicitur *S. Theologiae Professor*, cum in primo hoc magistratu an. 1425. tantum *Baccalaureus* adpelletur.

IX. fol. 208. *In nomine dei summi Incipit prologus beati Hieronimi presbiteri in librum virorum illustrium. Romano dextro Hieronimus salutem in domino. Hortaris dexter &c.* In hoc Prologo, ubi *J. Alb. Fabricii* editio *Hamb.* 1718. f. legit: *peffimum, ut dicitur, magistrum memetipsum habeo, noster ait: per animum, ut dicitur, magistrum memetipsum exercere jubeor.* Quam differentiam nemo τῶν Σχολιασῶν, quos quidem excitat *Fabricius*, adnotavit. Prologum excipit *Scriptorum Syllabus* a *Petro* ad ipsum *Hieronymum* pertingens, cui statim subnectitur *Gennadianus*, in quo, ut solet, non comparent *Hieronymus, Caesarius Arelat. Sidorius*, et 7. ultimi *Scriptores*, qui ex *Fabricio* suppleri possunt. Hos *Syllabus* sequitur *Liber Hieronymi et Gennadii* hac solum rubrica interjecta: *Hucusque Hieronimus abhinc Gennadius massiliensis presbiter. Cap. 136.* Mendis mul-

tis uterque scatet; non deest tamen hinc inde lectio, quam prae *Fabriciana* adoptes. Ita in *Cap. Pauli* malit quis: a *Nerone toleratum*, quam, *dimissum*, et in *Gennadii C. 1.* sub finem: *cum suis finibus subiecta*, quam, *cum suis subiecta &c.*

X. fol. 235. *Anonymi Catalogus scriptorum Ecclesiasticorum* absque titulo. Prooemium incipit: *Scriptorum illorum, qui virorum illustrium conscripsere Catalogum pro posse sequentes &c.* Sequitur *Elenchus* 118. Nominum a *Telphoro* Papa ad *Rutpertum*; *Opusculum* vero ipsum in *Aribone* n. 106. deficit. Defunt itaque: *Hucbaldus, Wilhelmus Abbas, Dietgerus Abbas, Udalricus Can. Meginhardus Ep. Ponizo. Deusdedit Card. Gothscalcus Mon. Placidus. Geraldus. Gerandus et Rutpertus*; sed *Cl. Bern. Pezius* integrum e *Cod. Mellicensi* ad calcem *Bibliothecae suae Benedictino Maurianae Aug. Vind.* 1716. 8. in lucem protulit, et ex eo *Fabricius* in *Biblioth. Eccl.* p. 141. repraesentavit. Si de Autore conjectare licet, fortassis is est *Arnoldus* seu *Arnulphus* ex *Regulis* seu *Comitibus de Cham et Vobburg* oriundus, quem *D. Haimerami Reginoburgensis Praepositum* compellatum *Aventinus* in *Summario L. V. Annal. Boj.* tradit sub *Henrico IV. Imp.* librum de *Ecclesiasticis Scriptoribus* condidisse. Alia hujus *Viri Scripta* in *Bibl. med. et inf. Lat. v. Arnoldus* a *Fabricio* adferuntur; praesentis tamen nulla fit mentio.

2611

CODICES

2612

XI. fol. 251. *Incipit tractatus de corpore christi domini bonauenture. Ad honorem gloriose ac indiuidue trinitatis. Et ad honorem excellentissimi sacramenti &c. Extat sub titulo: De Praeparatione ad missam, in Capita XIV. diuisus T. VII. Operum Lugd. 1668. p. 66. f.*

DCLXXXIII.

574 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 162. 4. nitide perscriptus et quondam *Magistri J. friesbamer Canonici Ratisponen.* continet, quae sequuntur. I. *Tractatus magistri Iohannis de franckfordia de Contractibus in venditione et empicione. Initium: Vt in foro anime ubi spectator est deus, salubrius valeas consulere, queris a me, quomodo debeas hominem expedire in casibus contractuum &c.* XVI. *Conclusionibus practicis definitur Consilium, e quibus variarum Rerum pretia illo aevo in Palatinatu obtinentia discuntur. Doctorem nostrum, de quo iam alias nobis mentio, non pertinere ad eos, quos hodie Laxos adpellant, ex eo conicias, quod fol. 2. p. 1. legitur: Si homo ex proposito abstraheret vnum granum tritici uel vnā guttam vini quando bene crederet quod esset iusta mensura, et sic defraudaret proximum suum scienter, ille peccaret &c. Subscriptio: Explicit tractatus de contractibus scilicet de empicione et venditione traditus per Magistrum Iohannem (de Diepurgo) de franckfordia sacre theologie*

doctorem compilatus ab eodem Haidelberge. Novit Tractatum hunc Trithemius, qui inter illustres Viros Germ. fol. 39. Autorem plurimum commendat, et a. 1430. claruisse tradit.

II. fol. 10. *Brevis Expositio Orationis Dominicae, quae incipit: Pater noster. Excelsus in creatione, suavis in amore, diues in hereditate. Qui es in celis &c.*

III. fol. 11. p. 2. *Honorii III. Pont. Confirmatio Ordinis FF. Minor. jam ab Innocentio III. approbati Data Laterani III. kl. decembris pontificatus An. VIII^o. Incipit: Solet annuere sedes apostolica &c. et habetur in Cberubini Bullario Magno T. I. p. 66.*

IV. Fol. 14. *Incipiunt interrogationes que de scripturis sanctis et canonibus sacris in foro penitentie ad utilitatem confitentium fieri possunt &c. Pervadunt diversas Hominum conditiones incipiendo ab Episcopis, de quibus ita: Si Episcopus non est Baptisatus irregularis est et debet Baptisari et iterum gradatim ordinari &c. et desinunt in Examine de diversis speciebus Peccatorum et ratione injungendi Poenitentias. Opusculum ad fine Confessionalibus Antonini Flor. Barth. de Chaymis, Andreae Hisp. &c. habetur etiam Cod. DCLXXXI.*

V. fol. 26. *Joh. Gersonis Tractatus IV. Primus subscribitur: Explicit Tractatus de Arte audiendi confessiones d. Gerson viri utique celeberrimi. Extat Opp. T. II. col. 446. Secundus inscribitur: Tractatus cujusdam cujus supra*